Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uno tamen pede. Hac spe letatus catenam compedis manu arripuit, quam tamen nulla arte eruere non invenit, nam paries firmissimus erat. Ipse vero manu nichil nisi minimum cutellum tenebat, quod et ipsis custodibus nullam faceret suspicionem. Eo cutello celerrime per invocationem sancti Mathie aditum invenit, et fugiens nullo sentiente per contigua tecta super domorum desiluit, et liber abscessit.

Tvrgensis etenim eiusdem civitatis sollempnia munia deferens ad tumbam sancti Mathie advenit, sui causam hoc modo aperuit. Ego inquit infirmabar gravissime, morboque ad vitalia transeunte morti proximus eram, mala mea in conscientiam periculis transiens. Stabant ergo mei facie miserabili, scissis vestibus genisque flentes et mugientes, et finem vite mee prestolantes. Interea quidam adveniens inopinus ab urbe treberica retulit meis quanta mirabilia dominus per beatum Mathiam operaretur, consuluitque eis ut vice mei vota illi voverent. Quod cum illi summa cum devotione fecissent, ego eadem hora caput erigens tam subito convalui, ut statim omnia negotia domus mee disposuerim. Memor itaque sponsionis mee adveni vota persolvens, et reponens qui me a duplici morte anime et corporis eripuit.

Puer quidam vidue filius morbo tactus ad extrema perductus est. Cumque dies xv. egrotasset, extinctus est. Compositus ergo feretro media locatur domo, et more gallorum vigiliis ac ludis sollempniter frequentatur. Ludebant alii, sed mater flebat uberrime, noctemque insomnem agens nullum dolori remedium aut finem admittebat. Unicum tamen solatium reputabat, ut ab invocatione nominis sancti apostoli non cessaret, quousque unicum filium vivum meritis illius reciperet. Illucescente iam aurora fide exardenti se credens exauditam, ad feretrum accedit, faciem pueri detegit, quid sua valuit oratio volens experiri. Cum repente puer oscitans aspicientem se matrem respexit, et plausu puerili ei assurrexit. Quod cum viderent astantes, repentino timore correpti huc atque illuc diffugiunt, quibus lapsis quibusdam in angustiis postici attritis. Mulier autem fidelis puerum gratulabunda levavit, et quod sit beneficium Mathias contulit exposuit universis.

Quinquagenarius homo quidam pulchri montis accola, quod est castellum arduenne silve, paralisim incurrit, cuius incommodis adeo percussus est, ut diu membrorum funditus careret officio. Preterea idem humor rabidus illi oculorum lumen extinxit, itaque per omnia inutilis fuit. Sexto tamen mense cecitatis sue unius oculi lumen divina miseratione recepit. Qua ergo omnino sui impos erat, quidam ingenuus vir eiusdem castelli municeps intuitu dei sue domui illum alendum suscepit. Qua domo annos degens aliquot, cum se nichil melius haberet, desperavit omnino. Sed persuasus ab amicis ut spem in domino ponens beatum Mathiam adiret, calore fidei succensus, fulcro baculorum super incumbit, atque per devexa montium, per concava vallium pertractus demum ad urbem trevericam portatus est. Cumque ad memoriam apostoli portasset, subito surrexit, et cum adhuc laran te gradu sua munuscula obtulisset, perfecta sanitate et oculi et corporis sanus recessit.

Ex urbano rure quod treveri adiacet, aglonem ubi extra portam martiam, rustica quedam demonio tradita est vexanda. Quam idem antiquus hostis adeo vexavit, ut multorum labore vix cohercita in vinclis teneretur. Et sicut vulgus novitatis semper est cupidum, curiositate adducti plurimi convenerunt, quibus illa gravissimas ac pudendas notas incussit. Circa vesperam sana loquens, nichilque vesanum agere, maritoque suo cepit blandiri, ut se absolveret. Credidit ille, et eam absolvit. Illa furore demoniaco agitata cum ululatu maximo prorupit, et in vicinum domui sue puteum precipitavit. Hanc e vestigio vir insecutus, quia vespere erat invenire non potuit, sed mane facto suis ululatibus prodita, immissis funibus summo labore extrahitur. Cumque sine vinclis domi sederet, fatigata enim casu putabatur, subito prorupit, arreptoque dolabro puerum suum in cunis iacentem effuso cerebro peremit. Virum quoque suum eodem impetu appetiit, sed eius virtute repressa, in compedes coniecta est. Postremo per ecclesias sanctorum tracta, novissime beato Mathie prelata est, inimico multum renitente. Ubi in loco cum pro illo oratum fuisset, spiritus malignus est eiectus.

Rusticus qui per annos xxx. iugi cecitate laboravit, paralysisque peste contabuit, persuasus ab amicis uxore gressum regente ad salvificum venit sepulchrum, et perfecta adsecutus est salutem. Et pudore actus latenter abiit, nolens aliquem facti in se miraculum scire, non tamen ut glorie sancti invideret, sed ut vicinis ostentui non esset. Postmodum tamen ignavie sue penituit, et rediens in ecclesiam omnibus astantibus quod in se gestum esset aperuit.

Apud fuldam que est francie teutonice, mulier quedam pontem fluminis transitura onere quodam pregravata, cum puerum ferre non posset, viam illi premonstrabat, timens id quod et accidit. Nam secutus eam puer magis de ponte cecidit, et proximi molendini rota exceptus, et cum volutus ad mortem usque contritus est. Stabat autem mater eius videns illum sic rotari, et reiecto onere auxilio illi venire volebat nec poterat. Reiectus tandem lacrimis eius puer extrahitur, domumque defertur. Cumque pre dolore iam deficeret, mulier gemebunda nomen apostoli invocavit, et statim puer ad nomen celebre assurgens, panis offulas petiit et comedit.

Erat quidam maligne mentis, sic divitiis sic abundans et iuvenis, quod cedibus et rapinis vicinos suos consternaret, violentus omnia depredabatur. Quidam autem illorum quos iniuste afflixerat domum illius igni succendit et aufugit. At ille sicut mentis erat perverse, in quendam pauperem crimen hoc iniecit, et pro tribunali iudicis illum detulit. Quod cum per advocatum suum pauper fecisse se negaret, ad hoc tandem causa devenit ut duello determinaretur. Hoc tyrannus ille sicut erat vir sanguinum audissimus, leto suscepit animo. Pauper autem se suaque domino illi submittere volebat ut quiesceret, sed ille renuit. Die ergo dicta venerunt ambo, locumque duelli intrantes sunt congressi, pari certamine, viribus impares. Attrivit etenim tyrannus pauperem pene usque ad dedicionem, donec compulsus alius nomen sancti Mathie invocaret pauper, divitem uno ictu deiecit et occidit. Ut salvatus est sanguis innocens meritis beati Mathie.

Vir quidam tanta ariditate contabuit, ut ritu pecudum repens manibus graderetur. Cumque vehementissime morbo tali torqueretur, ab uxore cepit divortium querere. Quod illa omnino rennuit, et ei fideliter adhesit. Emensis ergo annis tribus beato Mathie votum vovit, et paulo melius habens, quibusdam volentibus eum illo devehere non assensit, sed ipse modo quo potuit venit, et optate salutis remedia percepit.